UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Bvllarii Earvmve Svmmorvm Pontificvm Constitvtionvm Qvae Ad Commvnem Ecclesiae Vsvm post volumina Iuris Canonicis, vsq[ue] ad Sanctissimum D. N. D. Pavlvm Papam V. emanarunt

Quaranta, Stefano

Venetiis, 1619

Abbatissa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10793

Visual Library

& ſucceſſoribus tuis in perpetuum, dummodo tibi & eiſdem ſucceſſoribus ſit more ac modo debito muneris benedictionis impenſum & te ac eos conſtet exiſtere ſacerdotes, auctoritate præſentium concedimus ex gratia ſpeciali.

Vt patet ex libro priuilegiorum dicti ordinis Neap. impreſſo.

ABBATISSA.

PRAETER Summiſtas in hoc verbo, ſciendum eſt quod Abbatiſſæ, & aliæ monaſteriorum monialium ad vitam præfectæ, cum vacauerint, ſeu ceſſerint non vltra triennium per vniuerſam Italiam in futurum eligantur iuxta Decreta Sac. Conc. Trid. & regularia ſuorum ordinum inſtituta; quo tempore finito præeſſe deſinant, & abſtineant per triennium a die finitæ adminiſtrationis, quo elapſo ſeruato forma eiuſdem Concilij iterum & pluries eligi poſſint ex conſtitutione Greg. xiij. Romæ publicata die 4. Ianuarij 1583. incip. expoſcit debitum. & infra hac noſtra perpetuo valitura conſtitutione ſtatuimus & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in omnibus & ſingulis monaſterijs monialium Sancti Benedicti Cittercien. Cartuſien. & aliorum quorumcumque ordinum in vniuerſa Italia & præſertim in vtriuſque. Siciliæ Regnis Conſiſtentib. quæ nunc per Abbatiſſas, vel alias præfectas perpetuas reguntur & gubernantur, cum primum Abbatiſſæ aut aliæ præfectæ huiuſmodi regimini & adminiſtrationi ipſorum monaſteriorum ceſſerint, etiam apud Sedē Apoſtolicā, vel deceſſerint, earum Abbatiſſatus, ſeu præfecturas vacare cōtigerit, Abbatiſſæ, aut aliæ præfectæ non amplius perpetuæ ſeu ad vitam (quarum nomen ac titulum ex nunc prout ex tunc Apoſtolica auctoritate ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine tenore præſentium perpetuo extinguimus, & abolemus) ſed triennalis tantum a conuentu vniuſcuiuſque monaſterij, & alias iuxta decreta Sancti Concilij Tridentini, & regularia ſuorum ordinum inſtituta eligantur, & præficiantur, quæ poſtmodum elapſo triennio ſuis officijs perfunctæ præeſſe deſinant omnique prorſus careant auctoritate, ac a regimine, & adminiſtratione monaſterij per triennium a die finitæ adminiſtrationis inchoandum abſtineant, quo elapſo ſeruata eadem forma concilij Tridentini, iterum & pluries elegi poſſint. Diſtinctius inhibentes omnibus & ſingulis dictorum monaſteriorum conuentibus, ſuperioribus, & perſonis aliquam Abbatiſſam aut aliam præfectam perpetuam, ſeu ad vitam, ſed triennalem tantum eligere & præficere vllo modo audeant, vel præſumant; quod ſi ſecus a quoquam quauis auctoritate fuerit attentatum, electionem & præfectionem huiuſmodi, ac omnia, & ſingula, quæ inde ſequenter irritat, nulla & inania, nulliuſque roboris & momenti fore: ſicq; per quoſcunq; iudices & c. in Bullario, fol. 1321. Electio autem quomodo facienda ſit, habetur in c. indemnitatibus. de elect. in 6. & in d. Conc. Trid. ſeſſ. 25. de regul. c. 6. & 7. Hæc autem Conſtitutio declaratur per Nauar. conſ. 82. de regula lib. 3. in antiquis & conſ. 7. de ſtatu mona. in nouis. non includere eas, quæ vere non ſunt profeſſæ regulam a Sancta Sede Apoſtolica approbatam.

Abbatiſſa tenetur ante menſem certiorem facere epiſcopum de tempore profeſſionis nouitiæ, alioquin quādiu epiſcopo videbitur, ab officio ſit ſuſpenſa ex Decreto dicti Conc. Trid. ſeſſ. 25. ca. 17. de poteſtate præfectæ monialium Sot. in 4. ſent. diſt. 20. q. 1. ar. 4.

Abbatiſſa temporalis non eſt iure benedicenda, niſi ſacroſancta Sedes Apoſtolica aliud ſtatuat expreſſe vel ſeruet contrarium. Nauar. conſ. 4. de regul. lib. 3. fol. 574. in antiquis. & conſ. 2. de ſtatu. mona. in nouis.